



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Honorii || Avgvstodvnen-||sis Ecclesiae Presbyteri De ||
Praedestinatione Et Libero Ar-||bitrio Dialogus, nunquàm
antehac || typis expressus**

Honorius <Augustodunensis>

Köln, 1552

VD16 H 4771

Dialogvs De Praedestinatione & Libero Arbitrio. Discipvlvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29827

DIALOGVS DE
PRÆDESTINATIONE
& Libero Arbitrio.

DISCIPVLVS.



Rates in domo Dei cum consensu ambulantes sunt pro tua salute orationi instantes. Diligentis quidē tuæ orationes, clavi autem David Christo gratiarum soluunt actiones: qui ob genitricis suæ merita tot eis in Canticis de ea re serauit per te mysteria. Ob hanc causam & ob alia quæ multis incognita elucidans in laudē eius addidisti, ipso sacrosanctam virginem & omnes ipsius cultores tibi debitores fecisti. Illorum nunc fungor legatione, & ipsi summa poscunt deuotione, vt soluas eis nodum liberi arbitrii inextricabilem, quem tua disputatio, vt eis videtur, magis fecit insolubilem. Si enim soli prædestinati, vt tu asseris, quicquid & fecerint, saluantur, liberum arbitrium penitus tolli æstimatur: & hi qui damnantur, non iam sine culpa, sed & iniuste puniuntur. MAG. Cur mihi hoc crimē impingūt, quasi ego ex proprio corde hoc confinxerim, aliquid noui mūdo induxerim? Imponant Christo, imputēt prophetis & apostolis, qui hoc locuti sunt in scripturis: si tamen scripturas sacræ autoritatis legerunt, aut legentes sensum earum intelligere potuerunt. Si autem legere cōtempserunt, aut legentes intelligere neglexerunt, non mihi inferāt iniuriam

ET LIB. ARBIT. DIAL.

Iniuriam, sed suæ negligentiae patiantur verecundiam. DIS. Inuectionem tuam iustam approbo, sed ne contra me moltearis oro. MAG. Non mea, sed Christi sunt hæc verba, electorum prædestinatoris, & gratiæ largitoris: Pater dilexisti eos sicut & me dilexisti ante mundi constitutionem. Quomodo ante mundum dilecti sunt, qui tempore Herodis pene omnes nati sunt? & tamen sunt à Deo dilecti, quia ad gloriam per prædestinationem electi. Item dicit: Vos non estis ex ouibus meis. Qui sunt eius oues, nisi quibus ab initio præparauit pascua vite? Qui gloriantes dicunt: Nos populus eius & oues pascuæ eius. Populus eius dixit, quia est & populus Pharaonis: Oues eius dixit, quia sunt & oues, quæ in inferno posite sunt, & mors depascet eos. Item dicit: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis præparatum est ab origine mundi. Quomodo ante mundi initium est eis regnum præparatum, qui post multa milia annorum erant nascituri, & adhuc multi sunt nascendo futuri. Tamen præparata erat eis gloria regni, qui ad hanc ab initio erant prædestinati. Sanctus quoque spiritus per vas electionis philosophatur, qui Christi in se loqui testatur: Non est volentis, neque currētis, sed Dei est miserētis. Vide quid dixit: Non est volentis, quod propriè ad liberum arbitrium pertinet. Quod autem fiat per prædestinationem, subiunxit: sed miserentis est Dei, qui dixit, sine me nihil potestis facere. Ad quem autem intellectum te miserit mox addidit: Antequam scirent facere bonum vel

Ioan. 17.

Eph. 1.

Ioan. 10.

Psal. 146.

Math. 25.

Rom. 9.

Ioan. 15.

senfu
ora-
e tua
Chri-
: qui
de ea
& ob
eius
mnes
nunc
euo-
extri-
ma-
ti, vt
rum
lam-
unil
gūt,
n, ali
isto,
sunt
ratis
gere
rle-
erāt
iana

HONOR. DE PRAEDEST.

Malach. 1.

malum dictum est: Iacob dilexi, Esau autē odio habui. Ob quod initiū liberi arbitrii dilectus est Iacob, qui nondum sciuit facere bonum? Quid autem mali per liberum arbitrium elegit Esau, ut odio dignus haberetur, qui nondum sciuit facere malum? Iacob dilexi, id est, ad gloriam praedestinavi. Esau odio habui, id est, à loco gloriae reprobavi.

Rom. 9.

Item Apostolus amplius: Quaedam vasa preparavit Deus ad gloriam, quaedam ad ignominiam.

Ephe. 1.

Item vehementius: Elegit nos in Christo ante mundi constitutionem. Quomodo elegit Deus apostolos ante mundi constitutionem, nisi praedestinavit eos ad gloriam regni?

Eccl. 6.

In Ecclesiaste quod dicitur, Incorrigibiles sunt, quos abiecit Deus. Si per liberum arbitrium salvari poterunt, cur tot doctrinis auditis, tot signis, tot plagis visis & perpeffis, incorrigibiles sunt? Et quomodo Deus eos abiecit, nisi ad gloriam non elegit? DIS. Hic tot veridicis testimonijs videtur mihi liberum arbitrium à praedestinatione non modo obrutum, sed intantum extinctum, ut nec fomitem quidem inueniat, quo reaccendi queat. MAG. Cur irā detestaris audire nomen praedestinationis? An formidas, ne forte tu non sis praedestinatus, & ita labor tuus fiat mercede priuatus? Ignoras, quod qui minus peccauerunt, minorē poenam habebunt? Ideo omnes & praedestinati, & non praedestinati totis viribus semper in bono laborant, quia si praedestinati sunt, pro maiori labore maius praemium habebunt: Si praedestinati non sunt, quanto minus impiè egerunt, tanto minus supplicium sustinebunt.

ET LIB. ARBIT. DIAL.

stinebunt. Quid autem liberum arbitrium sine
 iuuare gratia valeat, in sequentibus videbis. DIS.
 Rogo te, de hac re latius differere, nec minimum
 scrupulū alicui hebeti vel cæco relinquere. MAG.
 Cum summi doctores de hac materia multa con-
 scripserint opuscula, præcipuè beatus apostolus **Rom. viii.**
 Paulus ad Romanos, & sanctus Augustinus inde
 quatuor ediderit libros, quid à me amplius posei-
 tis, qui ad cōparationem illorum sum elinguis?
 DIS. Illi quidem egregiè disputauerunt, sed nos
 fateor incertiores, quàm inuenerūt, reliquerunt.
 Tu autem facis nobis breuiter quodāmodo pal-
 pabile, quod ipsi longis tractatibus non fecerūt
 nobis saltem conspicabile. MAG. Quod petis
 non denego, qui non mea, sed quæ sunt charita-
 tis quæro: phaleras verborum contemno, dum
 fratrum simplicitati cōsulo, liuidos dēres inuido-
 rum non aspicio, quia auxiliū meū à domino. Vt
 autem totum sequēs opus totum à lectore facile
 queat notari, prius libet summam totius materię
 in breue corollarium curtari. Huius igitur ineui-
 tabilis materia tali ventilatur area, quod prou-
 dentia Dei creatoris sapientissima ab initio rem-
 publicam instituit dispensatione ordinatissima,
 in qua filijs quidem locum gloriæ, seruis autem,
 imò hostibus, præordinauit locum ignominia.
 Et ad locum gloriæ nullus, nisi ad hunc prædesti-
 natus, peruenire poterit: & hic gratia Dei præuen-
 tus vt bonum velit, & adiutoriq; Dei adiutus vt
 possit. Ad locum quoq; ignominia nemo perue-
 niet, nisi ad hunc ante secula præscitus, & hic à gra-
Philip. I.

HONOR. DE PRAEDEST.

tia Dei iustissime derelictus. A Deo autem deser-
 tus tota cum festinantia per liberum arbitrium
 irrevocabiliter ad hunc properabit. Infantes vero
 libero arbitrio carētes, quidam, ut puta baptisati,
 per clementissimam Dei bonitatem in locum
 gloriae cum sint praedestinati, assumuntur: qui-
 dam vero ut non baptisati, incomprehensibili &
 inuestigabili, tamen iustissima Dei censura, in
 loco ignominiae locabuntur. Et quicquid in cae-
 lo vel in terra, vel in quacunque Dei creatura fit,
 totum Deus solus bonus facit, aut fieri permittit.
 Omnia namque bona per praedestinos, coope-
 rante illorum libero arbitrio, Deus operatur. Bo-
 na autem per contrarium a reprobis fieri per liberum
 arbitrium permittit, & in his omnibus par laus Dei
 inuenitur. DIS. Inspirante Deo hunc nexuosum
 gloriū resolve, & hoc inuolucrum euolve. MAG.
 Dic mihi in primis, quid liberum arbitrium vocari
 dicis? DIS. Ut tu diffinisti, libertas est bonum vel malum
 eligendi. MAG. In qua rerum natura constituis
 hanc libertatis iura? DIS. In angelica & humana.
 MAG. De primo angelo scriptum est: Plenus sa-
 pientia, & perfectus decore. Si plenus sapientia ex-
 titit, decorem deformitati praestantiorē sciuit.
 DIS. Alioquin non esset sapiens. MAG. Sapiens
 autem est, bonum eligere, & malum respicere. DIS.
 Ita constat. MAG. Sed ipse malum elegit, & bo-
 num respicit. Decor enim bonus est, quem habitum
 deseruit: deformitas mala, quam eligendo incidit.
 Sequitur autem, aut hanc scripturam falsidicam, quae
 eum testatur plenum sapientia et perfectum decore
 fuisse:

Isa. 43.

ET LIB. ARBIT. DIAL.

fuisse: aut scripturam veridicā, sed eum habitū de-
 corē, dum maiorē appetijt, retinere non potuisse,
 & sic per liberum arbitriū scienter malū elegisse.
 DIS. Rectē malum elegisse diceretur, si bonum &
 malū ei propositū legeretur. Sed cum nihil mali
 fuerit, præsertim cū Deus omnia valde bona fece-
 rit, mirum videtur, quomodo malū elegisse affir-
 metur. MAG. Deus creauit omnia simul, Eo- Eccl. xvij
 dem enim momento quo cælum, eodem etiam
 creauit infernum. Si ergo angelus plenus fuit sa-
 pientia, sciuit utiq; quod Dei contemptoribus
 præparata erant tormenta: & dum Deum con-
 tempfit, scienter malum incidit. Dicitur ergo iu-
 ste malum elegisse, dum maiestatem Dei con-
 temnens, præuisum tormentum sciuit se euadere
 non potuisse. DIS. In quo Deum contempfit?
 MAG. Dignitatem à Deo sibi datam habere con-
 tempfit, & maiorem, quàm ei Deus dare vellet,
 appetiuit, quia similis altissimo voluit esse. DIS.
 Cum nec angeli (vt credo) ad perfectam penetrēt
 altitudinem maiestatis Dei, quomodo ei æqualis
 esse voluit, cuius magnitudinē ignorauit? MAG.
 Quodam modo concupiuit ei par esse, scilicet
 ministeria angelorum, vt Deus, disponere.
 DIS C. Nonne ideo quilibet festinat dignitate
 sublimari, quod potentiam iudicat præstare sub-
 iectioni? Ita videtur mihi quod bonum elegerit,
 dum maiorem gloriā appetiuit. MAG. Imò per
 hoc malum elegisse cōuincitur. Omnem eñ suffi-
 cientiam habuit, & nihil erat quod gloriæ adijci
 posset. Dum ergo gloria contentus non fuit, sed

HONOR. DE PRAEDEST.

quod Dei solius erat praesumptuose, imò violenter arripere voluit, in locum quem sciuit praesumptoribus preparatū, scienter corruit, quia sumpto bono malū praesumpsit. DIS. Cur ideo Deus habitam gloriam ei abstulit, quòd maiorē appetiuit? MAG. Deus ei non abstulit, sed ipse hanc sua sponte deseruit. Sicuti tu si de me tabulas haberes, & ego mihi libellum retinerem, quem tibi dare nollem, tu verò tabulas abijceres, vt librum, quem tibi dare nollem, acciperes, vtroq; iuste careres. Ita diabolus habitam gloriam deseruit spe maioris subeundæ, quam ei Deus dare noluit, & ideo malè cupitam non accepit, & quam deseruit, non recepit. Cum ergo esset vtraque priuatus, à loco gloriae est abalienatus: & locum quem contemptoribus preparatum prauidit, contemptor ipse incidit. Et quia de gloriae loco corruit, sapientiam & decorem & omne bonum pariter amisit. Quia verò locum ignominiae scienter incidit, mox deformitatem & omnem horrorem iuste induit. DIS C. Quomodo constat, quod Deus omnia bona valde fecerit, cum infernus ultra modum sit malus, quem fecit? Aut quæ causa fuit, vt eum faceret, cum adhuc nemo peccasset? MAG. Infernus per se bonus comprobatur, sed ideo malus dicitur, quia in eo poenae exercentur. In omni autem rerum natura nihil malum, nisi poena appellatur. De hac autem bonum praedicatur, cum supplicium flagitioso, vt puta latroni, à iudice intendatur. Malum verò de ea ideo praedicatur, quia amara est his, à quibus toleratur.

Pecca-

ET LIB. ARBIT. DIAL.

Peccatū verò idcirco malum dicitur quia quisq;
per hoc pœnæ addicitur. Deus fecit omnia bona
valde, sed tamen inter se contraria. Cœlum namq;
& infernus sibi sunt contraria, sed vtrunq; per se
bonū. Cœlum etenim bonum affirmatur, quia
in eo maiestas Dei ab electis collaudatur. Infer-
nus nihilominus bonus asruitur, quia in eo iu-
stitia Dei in reprobis exercetur, & pari modo in-
de à iustis magnificatur. Aqua & ignis sunt con-
traria, sed vtraque bona. Salamandra viuit in
flamma, moritur in aqua. Sic piscis in aqua nu-
tritur, in igne moritur. Ergo nihil est malum, sed
vnumquodq; per se bonum, quàmuis inter se cō-
trarium. Ideo autem infernū ante peccatū Deus
fecit, vt magis inexcusabiles essent, si visis tormen-
tis à Deo per liberum arbitrium recedentes, in ea
scienter corruerent. DIS. Cum angelus cœlum
inferno longe incomparabiliter sciret præstare,
cur non magis elegit in eo perstare? MAG. Hoc
volo vt tu & illi tecum dicant, qui liberum arbi-
trium prædestinationi præualere affirmāt. DIS.
Rogo te in charitate Christi, vt prosequaris quod
cœpisti. MAG. Quia ad glorię locū prædestinatus
nō fuit, ideo in eo permanere non potuit. DIS. Si
per liberū arbitriū eligisset ibi permanere, potuis-
set ibi permāsisse? MAG. Non potuisset, quia no-
luit vt deberet. Sine Dei em̄ adiutorio, imò inui-
to Deo, ibi esse voluit, ideo inde, pruit. DIS. Quid
si cum Dei adiutorio veller? MAG. Quia hoc no-
luit, ideo corruit. Hoc autem ideo velle non po-
tuit, quia nō à Deo posse, sed à seipso habere vo-

A S luit.

HONOR. DE PRAEDEST.

luit. Per liberum igitur arbitrium, Deum & gloriam quam habuit deseruit, & malum quod praesciuit inevitabiliter incidit. DIS. Cur per liberum arbitrium deuitare non potuit? M A G. Vnde agis tu mecum? Tu proposuisti arbitrii libertatem, & ecce inducis faciendi possibilitatem, cum longe aliud sit eligendi libertas, aliud agendi facultas? Liberum enim arbitrium est tantummodo libertas bonum vel malum eligendi, quod ad angelos & homines pertinet. Possibilitas autem bonum faciendi, ad Dei solius donum attinet. DIS. Grattias refero tibi, quia haecenus hanc discretionem non audiui. M A G. Hoc errore tu cum multis alijs deciperis, cum vim dictionum & differentiam inter arbitrii libertatem, & faciendi possibilitatem non attenditis: & dum idem esse putatis, semper nouas questiones introducitis. Angelus per liberum arbitrium eligere bonum potuit, proficere autem sine Dei adiutorio, nullo modo potuit. Possesse autem ideo Deus ei non donauit, quia hunc ad gloriam non praedestinauit. DIS. Quare eum creauit, si eum cum caeteris angelis ad gloriam non praedestinauit? M A G. Ad cumulum gloriae electorum, ut vberiori gaudio affluerent, cum hunc tam atrocibus tormentis subijci conspicerent.

Plal. 104.

Scriptum namque est, Draco iste quem formasti ad illudendum ei. Solemus enim abundantiori admirationis laetitia repleti, si contraria a nobis audiri contigerit vel videri. Verbi gratia, Vndas sub pedibus Petri solidari, vel tres pueros in Chaldaico igne non cremari, ita electi praestantius habent gaudium

ET LIB. ARBIT. DIAL.

gaudium, cum tormentum inspiciunt suæ lætitiæ contrarium, scilicet exultant, quod ipsorum immensa gloria in tantum differt ab illorum miseria. DIS. Num cruciatus miserorum est gaudium electorum? MAG. In cælo nulla est miseria, ideo nullus dolor in inferno positorum tangit electorum præcordia, sed ut noster visus pascitur, si diuersa animalia à nobis in gurgite ludere cernantur, ita ipsi in vniuersa Dei dispositione latantur. DIS. Cum Deus disposuit in initio diabolum in alio loco constituendum, cur posuit eum in cælo saltem ad momentum? MAG. Sicut aurifex si in palatio pretiosos lapides ad coronam omnes simul protrahat, non tamen omnes in vno ordine sui operis ponat, sed quosdam superiori, quosdam inferiori parte, ut decens visum fuerit imprimar: sic Deus de thesauro sapiētis sue angelos velut igneos lapides producēs, ut hoc in cælesti palatio fieret decreuit. Sed alios ibi, scilicet in superiori parte sui operis remanere, alios verò in inferiori locare decenter censuit. Item, si foraminibus ab aurifice præparatis, lapis in foramen non sibi conueniens cadat, & mox eum aurifex extrahat, & in loco competenti ponat, sic cum primus angelus velut ingens lapis locum non sibi præparatum indecenter occupasset, à summo opifice euulsus, & in locum sibi conuenientem, est propulsus. DISCIPV. Cur perfecit eum Deus sapiētia & decore, cū permanens non esset in loco decoris & gloriæ? MAGISTER. Sicut tellus à præsentia solis calefcit, de absentia

aliàs, tangitur.

HONOR. DE PRAEDEST.

absentia eius tepescit, ita ipse ab aeterna Dei sapientia conditus, participando eidem sapientiae, tam diu sapiens fuerat, quam diu inter sapientes angelos commanebat. Item, sicuti sole aërem illustrante, facit eum lucidum: radios suos retrahente, reddit eum obscurum: ita ipse à claritate aeterni solis tam diu lucidus fuit, quam diu inter splendidos angelos mansit. Postquam verò à loco gloriae corruit, sapientiam & decorè exiit, atq; casu suo occupans locum ignominiae, mox insipientiae & tenebrarum circumdatus est horrore. Sapientia lux est. Dum huic adhæsit, honore resplenduit: dum ab hac sponte recessit, mox à loco gloriae prouersus in loco tormentali, tenebris insipientiae inhorruit. DIS. Cur non creauit Deus electos tantum angelos in cælo, & reprobos in inferno? MAG. Per hoc præbuit egregium spectaculū electis angelis. Finge in corde tuo montem excelsum, habentem ex vna parte campū amœnissimum, ex altera parte vallem fumimoua facie, horribilem, & turbam in cacumine montis constitutā, & partem eius ad amœna campi properare, partē verò ad horrida vallis festinare. Ita Deus turbam angelorum in cælo velut in montem constituit, vnde diuersa pars sibi destinatum locum properanter perijt, & electi quidem tota cum festinatione ad gloriam, quasi ad amœna Elisij campi, creatorē suum per liberū arbitrium diligendo festinabāt. Reprobi autem ad horrida tartari, velut ad ima vallis toto annisu per liberum arbitrium Deum contemnendo ruebant. DIS. Valde laudabilia sunt

ET LIB. ARBIT. DIAL.

sunt quæ dicis, & nimium gloriosa. Per omnia liberum arbitrium videtur mihi iam penitus enervari, si non diuina gratia præueniente & subsequente meruerit corroborari. MAG. Ita est: Nam ante peccatum est arbitrium in homine liberum. Postquam verò bono postposito malum, id est peccatum per consensum elegerit, iam non liberum, sed captiuum erit. A quo enim quis vincitur, illius & seruus efficitur. Verbi gratia: Si quis luxuriam per liberum arbitrium se subdiderit, illius demonis seruus protinus ascribitur, qui huic vitio præesse creditur. Sic de cæteris vitijs sentiendum. Itaque non iam per liberum arbitrium quod vult ei face-
re licebit, sed quod ille suggerit, cuius dominio se sponte subiugauit: nec arbitrium habet liberum, ut se de iugo eius dominationis excutiat, nisi gratia Dei eum præueniat, ut bonum quod spreuit cupiat, & subsequatur, ut illud implere præualeat. DIS. Grauius sunt nimis quæ loqueris, & omnibus hominibus formidanda. MAG. Hæc omittamus, paulò maiora canamus. Num scis quæ gaudia cælorum & pœnæ inferorum, magis secundum prædestinationem quàm secundum merita dantur? DIS. Quæ auis potest hæc ferre, ut vel hi pœnas, vel illi gaudia non secundum merita sortiantur? MAG. Patienter audi, & luce clarius videbis. Quæ sunt merita infantium, ut quibusdam dentur regna cælorum, quibusdam verò irrogentur tormenta inferorum? Per quod meritum latro regnum cælorum promeruit, qui à primæua ætate usque ad mortis articulum in latrocinio vixit? Ob
quod

2. Pet. 2.

Luc. 13

HONOR. DE PRAEDEST.

Math. 1.
Luc. 12.

quod meritum ad inferna descenderunt, qui hic multa miracula fecerunt, de quibus dicitur, Multi dicent mihi in illa die, Domine, nonne in nomine tuo multa signa fecimus? Et confitebor eis, Nunquam noui vos. Hinc habes, quod multi à pueritia vsque ad decrepitam aetatem in malitia insatiabiliter grassantur, & in vitae exitu per poenitentiam ab ipsis iam diaboli faucibus rapiuntur, & ad paradysi amoenitatem confouendi deducuntur. Econtra, plerique in monasterijs sub magna districtione vitam transigunt, quamplurimi in heremo degentes summa abstinence vitam solitariam ducunt, ad extrema verò ad ima baratri descendunt. **DISC.** Hoc est omni admiratione stupendum. **MAG.** Accipe causas singulorum. Qui in monasterijs pereunt, in sua prudentia confidunt, prelatorum monita contemnunt, & in inobedientia obeunt. Qui verò in heremo pereunt, sine discretionem viuunt, quod sibi eligunt, ut sanctum sectantur, exempla patrum aspernantur despiciendo. Et hi quia ex ouibus domini, id est, ex predestinatis non sunt, ideo pereunt, de quibus scriptum est, Sunt viae quae hominibus videntur iustae, quarum finis ducit ad interitum. Qui verò vel in morte ad poenitentiae remedia confugiunt, de predestinatis sunt, & ideo petire non poterunt. Infantes autem predestinati in gloriam assumuntur, non predestinati verò poenis subduntur. Et vides quantum predestinatio meritis transcendat, quantum libero arbitrio praeualeat. **DISCIP.** Et video, & caelorum

Ioh. 10. 17.
Sap. 30.

Rom. 11.

ET LIB. ARBIT. DIAL.

gaudeo me videre. **MAGISTER.** Regnum
 cœlorum non secundum merita, sed secundum
 gratiam datur. Quid eîm meretur homo nisi ma-
 lû: Vel pro quo merito expectat quis à Deo præ-
 mium? Quicquid electi boni operantur, Deus in
 eis operatur, sicut scriptû est, Deus operatur in no-
 bis & velle, & posse, pro bona voluntate. Si ergo
 Deus operatur, quæ merces homini imputatur?
 Et Deus operatur, & electi cooperantur. Deus
 operatur, electos sua gratia præueniendo, velle,
 & subsequendo, posse: cooperantur ipsi per
 liberum arbitrium consentiendo bona volunta-
 te. Hæc bona voluntas in eis remuneratur, vt
 scriptum est, Accepimus gratiam pro gratia.
 Gratiam accepimus, eum nos Deus præuenit
 vt velimus, & subsequitur vt possimus. Pro hæc
 gratia aliam gratiam dabit nobis, cum nos in
 gloria remunerabit. **DISCIPVLVS.** Si præ-
 destinatio electos necessario saluat, quare quic-
 quam laborant? aut cur gentibus prædicatur
 vt conuertantur? vel cur verbum admonitio-
 nis quotidie à sacerdotibus administratur popu-
 lo, vt in proposito Dei proficiant seruitio? **MA-
 GISTER.** Quemadmodum ignis necessa-
 rio calet, glacies friget, sic necessario omnes ad
 regnum Dei prædestinati salui fient. Sed quia
 nullus se prædestinatum præsumit, cum nec vas
 electionis Paulus hoc de se præsumpserit, ne-
 cesse est toto conamine incumbere labori,
 quo valeant prædestinationem obtinere, per
 laborem namque prædestinatio adipiscitur,
 vt in

Eph. 2.
 1. Tim. 2.
 Tit. 2.
 Phil. 2.

Ioan. 1.

Ioan. 11.

HONOR. DE PRAEDEST.

Acto. 5. vt in sacra autoritate dicitur: Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Infantibus itaq; per mortis acerbiteriam, iuuenibus per operis exercitationem, in extremis poenitentiam agentibus datur praedestinatio per purgatorij cruciatus examinationem. Genitibus vero ideo praedicatur, quia praedestinati foris, in foro oculo se stantes in vineam domini ad laborem conuocantur, quibus etiam denarius in mercede proponitur: quia praedestinata gloria vsque in finem laborantibus dabitur. Saepe quoq; quidam de reprobis cum eis vineam ingrediuntur, sed in laboris initio ab opere deficiunt, & aut de vinea blasphemantes exeunt, aut in vinea manentes laborantes impediunt. De his dicitur: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Et iterum: Multiplicati sunt super numerum, scilicet praedestinatorum. Multi quippe per fidem sagenae Petri inhaeserunt, sed quia in numero electorum praecogniti non sunt, in fluctus vitiorum iupto rete resilierunt. Populus autem fidelium in labore pii operis fatigatus, verbo admonitionis ne deficiat, subleuat. Sicut aeger ad ecclesiam vadens, sed in via deficiens, vt iter peragat ab aliquo sustentatur. Igitur per gratiam Dei praedestinatio vitae adipiscitur, per liberum autem arbitrium mortis praedestinatio perficitur. Renati quippe in Christo morientes, vel iam adulti bona operantes, ad vitam sunt praedestinati: non renati autem, vel in malis indurati, ad mortem sunt destinati. Propter praedestinos fiunt exhortationes, correptiones, sanctae institutiones, vt per liberum

ET LIB. ARBIT. DIAL.

liberū arbitriū declinent à malo, & faciant bonum, quod tamen nullo modo per se poterunt, qui sine Deo nihil possunt. Quia vero prædestinati sunt, gratia Dei eos præuenit, vt velint: subsequitur eos, vt etiam possint. Sed quia incōmutabilis prædestinatio Dei fixa manet, reprobi per iustitiam derelicti, bonū nec volunt, nec valent, cunctas admonitiones surdis auribus audiunt, cuncta bonorū exempla cæco, imò indurato corde conspiciunt. Per liberum arbitriū semper in peius deficiunt, per quod se à Deo elongantes iustè pereunt: quia nemo potest venire ad filiū, qui est vita æterna, nisi pater per gratiā, id est, per spiritum sanctum, traxerit eum, qui eligit per misericordiam quē vult, & reprobatur per iustitiā quem vult. Cui nemo potest dicere, cur sic facis, cuius vniuersæ viæ, misericordia & veritas. Sicut enim alicuius ciuitatis si totus populus regem offenderet, & ipse quosdam iuste damnaret, quosdam elementer relaxaret: sic cum totus mundus Deū offenderet, quosdam per iustitiam puniuit, quibusdam per misericordiam dimisit. DIS. Effunde cor tuum, & eructa Dei arcanum. M A G. Vt breuiter tibi pandam omnia occulta reclusa, cordis aure diligēter ausculta. Deus itaq; ab initio in domo sua, id est, in loco gloriæ, multas mansiones præparauit, ad quas electos tali modo prædestinauit, vt diuersi diuersas mansiones pro diuersis meritis fortiantur. Ad has diuerso modo festināt prædestinati gratia diuina præuēti & adiuti. Nul-
lus tamen aliam obtinebit quā illam, ad quam

Ioan. 15.

Esaiæ 6.

Matth. 15.

Marci 9.

Lucæ viii.

Ioan. 12.

Titum 2.

Rom. 9.

Psal. 25.

Ioan. 19.

B ante

HONOR. DE PRAEDEST.

ante secula praedeterminatus fuit. Scilicet, qui plus laborauerit, dignior est: qui minus, inferiorem. Nec quisquam plus laborare, aut alius laborando ascendere poterit, quam ad illam mensuram, quam ei aeterna ordinatio ab initio praefixit. Econtra, in loco contumeliae ab initio Deus diuersas poenas instituit, ad quas peccaturos angelos & homines futuros pro diuersis meritis praesciuit: quas non intrabit ullus, nisi ad has ante secula praescitus: nec quisquam aliam possidebit, nisi illam, quam eum diuina praescientia pro suo merito possessurum prauidit. Scilicet qui plus in malitia se exercuerit, maiorem poenam habebit, qui minus, minorem hereditabit. Nullusque plus mali perpetrare valebit, quam eum diuina prouidentia facturum praesciuit, & eum suo tempore facere permisit. Hinc scriptum est: Nondum impleta sunt peccata Amorrhoeorum. Et Apostolus: Ut impleant peccata sua semper. Quid est peccata implere, nisi ad illam mensuram malitiae, ad quam eos perueniendos Deus praesciuit, ineuitabiliter festinare? Igitur omnes quos Deus ad regnum praedestinauit, ineuitabile est quin saluetur: & omnes quos ad supplicium praesciuit, ineuitabile est, quin damnentur. **DIS.** Hac assertionem mirabili videtur mihi illa vulgaris sententia roborari, qua dicitur: Quod cuncta quae hominibus eueniant, vel ipsi homines faciant, ex necessitate contingant, & secundum Dei statutum fiant. **MAG.** Haec sententia partim veritate solidatur, partim falsitate subruitur. Falsa est enim in hac parte: Quaecumque homines mala fecerint, vel infortunia ob incuriam

Ezech. 4.
1. Thess. 2.

im-

ET LIB. ARBIT. DIAL.

Improuidè incurrerint, vt hæc fierent, Deus non
 præstituit, sed fienda præsciuit, & fieri iuste permī
 sit. In reliquis stare poterit. Quicquid namq; ele-
 ctis prosperi aduenerit, hoc Deus ab initio fieri
 præsciuit, & hoc vt nō fieret ineuirabile fuit. Quic-
 quid verò aduersi obuenerit, Deus utiq; hoc super
 eos venire ob tres causas disposuit. Primò, vt qui-
 dam à peccatis per aduersa corrigantur, vt Dauid:
 secundo, vt quidam tentati magis coronentur, vt
 Iob: tertio, vt quidam à delectatione peccati re-
 trahantur, vt Paulus: & hoc iterū ineuirabile est,
 vt non eueniat. Econtra, quicquid reprobis pro-
 spero occurrerit, vt hoc fieret Deus nō præstituit,
 sed futuru præsciuit, & fieri permisit. Aduersa autē
 quæ eos tangunt, Deus ob duas causas eis eueni-
 re disponit. Primo, vt electi per eorū plagas corri-
 gantur, vt in exitio Chore legitur. Secundo, vt ipsi à
 malitia ne tñ quantū volunt noceāt, reprimant,
 vt de Antiocho & Herode fert, & hoc iterū ineuir-
 tabile est nō euenire. Omnia igit quæ à Deo præ-
 destinata sunt, ex necessitate ita contingūt. Quæ
 aut nō præstituit, sed fienda præsciuit, ineuirabile
 est vt nō fiant, dum praua mens quæ cōcipit per
 liberū arbitrium agit. Hinc est, q̄ multis dies mor-
 tis vel aliud infortuniū prænunciatur, & illud eua-
 dere est ineuirabile. Prophetæ namq; filijs Heli exi-
 riū mortis prædixit, & tñ hoc euadere ineuirabile
 fuit. Scriptū nāq; est: Patrē suū nō audierūt, q̄ Dñs
 voluit occidere eos. Quare patrē suū nō audierūt,
 nisi q̄ malū euadere nō potuerūt, q̄d meruerunt.
 Quid est, dñs voluit eos occidere, nisi mortem, ad
 quam

Num. 27.
Exodi 31.

1. Reg. 4.

HONOR. DE PRAEDEST.

quã eos præsciuit per liberum arbitriũ venturos, permisit subire. Hinc est, quod Iulius Cæsar prædictam mortis diem nimia cura euadere voluit, sed minimè ualuit. DIS. Prædestinationem & præscientiam Dei non fieri, videtur mihi ita in-
euirabile, vt solem non lucere, & ignẽ non calere. MAG. Cuncta quę Deus prædestinauit aut præsciuit, ineuirabile est quin fiãt, cum ipse solus cuncta faciat, aut fieri permittat. Vniuersa namq; quę sunt bona, siue in cælo siue in terra, seu in omni creatura Dei, Deus solus bonus per electos, vel angelos, vel homines operatur, co operantibus eis per liberum arbitrium consentiendo. Operatur Deus per electos, per apostolos gentes conuertit, ipse interius inspirando, & incrementũ dando. Cooperantur ipsi per exterius ministerium plantando & rigando. Si quid aut electi contrariè egerint, ut in Vria David, Deus hoc iuste fieri permittit, quod tamen ipse in laudem sui cõuertit, dum post lapsum extiterunt humiliores, & sibi referunt grates uberiores, quibus etiam ipsa peccata cooperantur in bonum. Ergo omnia ex ipso, & per ipsum. Per reprobos quoq; Deus operatur, dum iudicium suum per eos exercetur, sicut per Chaldaeos Hierusalem destruxit. Ecce vnum & idem opus Deus & Chaldaei diuerso modo operati sunt, & tamen hic inde laudatur, & illi damnantur, quia quod ipse propter iustitiam, hoc illi fecerunt ob sænitiam. Similiter per Iudam Deus filium tradidit, & mundum à morte redemit. En Deus & Iudas vnum opus diuersa mente operati sunt. Sed

2. Reg. 19.

Rom. viij.

Rom. 11.

Matth. 26.

ET LIB. ARBIT. DIAL.

Sed Deum totus orbis inde veneratur, Iudam vero detestatur: quia quod Deus ob humani generis amicitiam, hoc Iudas egit propter auaritiam. Audenter dico, quia Deus etiam per diabolum operatur, dum iustitiam per eum in reprobis exerceri discernit. Sed quod Deus per iustissimam æquitatem, hoc agit diabolus per nequissimam crudelitatem: qui tamen non plus facere potest in eos, quam permittitur. Vnde Deus laudabiliter magnificatur, ille vero pro eodem opere damnabiliter reprobatur. Quæcunq; autem à reprobis per liberum arbitrium contra Dei instituta committuntur, à Deo quidem fieri sinuntur, sed in laudem eius vertuntur, dum iuste ab eo pœnis subiguntur. Igitur Deus operatur omnia, aut fauendo aut sinendo. Et quia omnia ex ipso, vt in libro Sapiëntiæ legitur: A Deo bona & mala, omnia sunt bona, & nihil est mali, nisi quod amarum est his, qui aliquid asperi patiuntur, malum appellatur, & ideo omnia in laudem & gloriam Dei, qui miseretur cui vult, gloriam dando, & indurat quem vult, in pœnis locando. DIS. Nunquam audita sunt ista in mundo. MAG. Imò quotidie in scripturis audiuntur, sed à desidiofis & negligentibus non attenduntur, & ideo non intelliguntur. Cum verò in disputatione à doctis hæc audierint, quasi à somno excitati stupefcunt, irident, vera esse dubitant, quia nusquam scripta esse putant. A studiosis autem leguntur, attenduntur, discutuntur, intelliguntur, & in memoria reconduntur. Sponsus namq; Christus abiens, sponsæ suæ Ecclesiæ cla-

Sap. 2.

HONOR. DE PRAEDEST.

Mat. xviii.
& xxviii.
Lucæ II.
Matth. 7.

Ioan. 6.
Acto. 9.

Rom. 9.

ues scientiæ reliquit, quæ quotidie pulsantibus
filijs secreta Dei per intellectum referans, aperit.
A canibus autem sancta, & à porcis margarita,
ne coinquentur, claudit. DIS. Cuncta quæ
proponis tam validis testimonijs per illationem
concludis, ut plus cæco probetur errare, qui hæc
præsumpserit pertinaciter impugnare. MAG.
Ut breuiter tibi totam prædestinationis & liberi
arbitrii syluam succidam, duos tibi exempli gra-
tia, Iudam scilicet & Paulum, proponam. Quis
vnuquam Iudam prædestinatum diffideret, cum
eum inter electos apostolos à cordium inspecto-
re electum cerneret, & cum apostolis non solum
prædicare, sed etiam miraculis coruscare? DIS.
Nullus. MAG. Cum ergo dominus principem
eum mundi constituerit, & tot gratiarum mune-
ra ei contulerit, cur perijt? DIS. Puto quia domi-
num vendidit. MAG. Num putas cor illius cum
domino fuisse, qui tot munerum largitorem pro
vili precio nõ pertinuit prodere? DIS. Minime.
MAG. Cum sciret malum esse, magistrum & do-
minum suum vendere, cur per liberũ arbitrium
non declinauit hoc facere? DIS. Puto non po-
tuit. MAGIST. Quare? DISCIP. Puto gra-
tiam possibilitatis non habuit. MAGIST. Cur
eam cum Petro non accepit? DISCIP. Dicitur,
MAGIST. Quia cum Petro prædestinatus non
fuit. Cur Petrus dominum non vendidit? DI-
SCIP. Puto facere non potuit. MAGIST. Et
debuisset Iudas facere? DISCIP. Cum scriptum
sit de Pharaone: In hoc ipsum constitui te, ut
clarif-

ET LIB. ARBIT. DIAL.

clarificetur nomen meum per te, puto Iudam
 in hoc ipsum constitutum, præsertim cum Deus
 ab initio filium suum tradi disposuerit, & hoc
 sciendum per Iudam præscierit, maxime cum scri-
 pturâ impleri necesse fuerit, quæ hæc de eo præ-
 dixit, vt in Euangelio legitur: Vt scriptura imple-
 retur, Qui manducat panem meum, leuabit con-
 tra me calcaneum. **M A G.** Approbo tuam sub-
 tilitatem. Quia Petrus prædestinatus fuerat, do-
 minum velle vendere, nunquam mente conce-
 perat, nec poterat. Iudas vero, cum hæc facere per
 liberum arbitrium concepit, vt non fieret in cui-
 tabile fuit, quia prædestinatus non extitit, præser-
 tim cum hæc de eo Deus præscierit, quamuis
 præscientia eius non ad hæc eum compulerit,
 sed æterna eius ordinatio, vt totum dicam quod
 sentio, ad hoc ipsum constituerit. **D I S.** Quam-
 uis hoc protulerim de Pharaone, uideor mihi
 hoc ipsum non bene intelligere. **M A G.** Hoc
 tibi pando breuiter, & forsitan euidenter. In
 primis nota tria, scilicet populum afflictum, Pha-
 raonem affligentem, dominum eripientem. **Iu-**
 stos quippe oportet in hac vita propter pro-
 bationem tentari, & hoc necesse est per ma-
 los fieri, per Deum autem liberari. Diabolus
 quia per liberum arbitrium malum incidit, iu-
 ste eum Deus in malicia indurari permisit, eum
 fabrum sibi ad purganda vasa misericordiæ con-
 stituit, qui faber omnes impios sibi instrumenta
 fecit, ex quibus extitit Pharaon vnus. Qui dum per
 liberū arbitriū diabolo seruire per malitiā elegit,

Matth. 20.

Marci 10.

Luce xvij.

Ioan. 13.

Genes. 15.

Sap. 12.

HONOR. DE PRAEDEST.

Deus eū iuste in ea indurari permisit, dum eum à malitia non eripuit, & ideo doctrinam Moysi audire non potuit, & signis à Deo flagellatus disciplinam recipere noluit: & cum populus Dei afflictione esset tentandus, & aduersitate probandus, Deus Pharaonem in hoc ipsum, id est, ad tentandum populum, constituit: quem vnū de malis diaboli ad tundenda sua vasa elegit. Sicq; Pharaon nescius iustis quasi seruus filijs seruiuit, dum eos à vasis iræ segregans flagellis erudiuit. Diabolus & impij malū quidem per se volunt, sed absq; Dei permisso nihil poterūt: & cum à Deo electis praeualere permittuntur, in hoc ipsum constituti dicuntur. Nomen autem Dei per Pharaonem omnibus innotuit, dum ipse cum omnibus iuste perijt, & Deus ab eo oppressos, quasi vasa igne examinata, de fornace signis & prodigijs eripuit.

DIS. Quid autem de Iuda? **MAG.** Deus primi hominis lapsum praesciuit, & pro huius reparatione filium suum ab initio incarnati & pati constituit. Praesciuit & Iudam nasciturū, ipsumq; per liberum arbitrium malum electurum, & per eandem malitiam eum filium suum traditurum. In hoc ipsum ergo dominus eum constituit, dum eum nasci, & hæc per eum fieri permisit, quæ manus eius facere decreuit. **DIS.** Parietem perfocti, & ecce apparet, introduce me interius, & ostende quæ latent intus. **MAG.** Cum Paulus lapidantibus Iudæis Stephanum vestimenta seruaret, ecclesiā Dei vastaret crudeliter, quis eum predestinatum existimaret? Tamen quia predestinatus fuit,

Act. 5.

Act. viij.

ET LIB. ARBIT. DIAL.

nit, diu in erroris frigore durare non potuit, per
 te eum impossibile fuit. Repente enim glacies du-
 ra à calore æterni solis est soluta, imò ipse existēs
 sol ecclesiæ, sed obtectus erroris nube de caligine
 prorupit, & radios sui luminis cunctis gentibus
 verbo & exemplo infudit. DIS. Quid si in illo
 errore obisset? MAG. Quare non dixisti, quid si
 cælum rueret? Sicut est impossibile vt cæli ruat,
 sic est impossibile vt aliquis de electis pereat. Si il-
 le in errore obisset, electus non fuisset. Sed quia
 prædestinatus fuit, ante conuersionem mori non
 potuit. DIS. Introductus per te interius, multa
 præclara video, sed plura adhuc figillata me
 non posse cernere doleo. Vnde rogo, vt tradita ti-
 bi clauē scientiæ hæc clauis mihi aperias, & ista in-
 uoluta euoluens me inspicere facias. MAG. Tam
 diligenter pulsanti dominus per me prosperare
 spondens, arcana secretorum aperiet tibi. DIS.
 Quidnam causæ esse dicimus, quod Deus permit-
 tit eos diu errare, quos prædestinauit secum per-
 enniter regnare? MAG. Per hoc longanimitatē
 patientiæ suæ prorogat, quod eos diutius in erro-
 re (vt Paulum) tolerat. Quod uerò eos repente ad
 pœnitentiam, vt item Paulum & Mariam reuo-
 cat, diuitias misericordiæ suæ insinuat. Pro his in
 mundum venit, pro his etiam mortem subiit: &
 quamuis pro peccatoribus mortuus sit, Annæ &
 Cayphæ, Herodi & Pilato mors eius nõ profuit,
 sed multum obfuit, non idcirco solum quod in
 morte domini conspirauerant, sed ideo, quia bo-
 num gratis odio habuerunt, & de prædestinatis

Rom. 2.

& 11.

Act. 9.

Lucæ 7.

Ioan. 15.

HONOR. DE PRAEDEST.

Lucæ 23. non fuerant. Cæteri electi quæ plures in nece Christi
 quamuis ignoranter cõsenserunt, pro quibus in
 cruce orauit, Pater ignosce illis, non enim sciunt
 quid faciunt: & sanguinẽ post credendo biberunt,
 quem prius sæuendo fuderunt. **DIS.** Cum male-
 facta hominum Deo nihil noceat, & illorũ benẽ
 gesta nihil cõferant, cur eos post mortẽ segregat,
 & nõ omnes pariter & æqualiter in vnum locat?
MAG. Propter pulchritudinem, vt variet operis
 sui vniuersitatẽ. Sicut pictor non omnes colores
 in vno loco, sed in diuersis ponit ob decoris varie-
 tatem. Quis etenim esset decor picturæ, si laqueat
 totũ cooperiret vno colore? nec etiã pictura pos-
 set dici. Nunc diuersos colores diuersis locis pin-
 git, & multipliciter variãdo totã picturam distin-
 guit, & sic opus suum pulchrũ visu reddit. Sic in-
 gnitor lapidum varias gemmas diuersis locis im-
 primit, & sic opus suũ delectabile visui reddit: &
 vt summatim singula percurrã, & quasi aliquos
 flosculos inde ad coronã carpam, quænam pul-
 chritudo esset, si omnes stellæ in cœlo pares esset?
 Nunc gratia est præstantior, dum alia alijs conspi-
 citur clarior. In aère quoq; quæ esset speciositas, si
 omnes aues vnius generis, & vnius coloris pares
 faceret æqualitas? Nũc verò qualis illis inest varie-
 tas in genere, in colore, in feritate, in mansuetudi-
 ne? Quid autẽ haberet pulchritudinis, si in mari nõ
 essent nisi pisces vnius generis? Nunc verò qualis
 est pulchritudo, cernere in eo diuersa genera pi-
 scium, diuersa animalium, volucrum, & quædam for-
 ma, quædam magnitudine ab alijs mire distare?

Porro.

ET LIB. ARBIT. DIAL.

Porro quæ pulchritudo esset, si in terra non esset nisi vnum genus bestiarum, vnum arborum, vnum lapidum, vnum herbarum, vnus color florum? Nunc verò quæ miranda pulchritudo in bestiis, in reptilibus, in serpentibus consideratur? Quæ cum diuersa genere, diuerso colore, diuersa natura inter se multum distet, maiorem delectationem intuentibus præbent. Quam magna diuersitas est in arboribus, et in earum folijs & floribus? quæ gloriosa distantia est in lapidibus, & in eorum coloribus? quæ mirifica varietas in herbis, & in earum floribus? quæ delectabilis, & quæ varia gratia in coloribus? Hæc diuersitas singulorum maiorem gratiam considerantibus & admirationem præbet, quæ si non nisi vnum genus existeret. De paruis ad maiora trãseamus. Quæ pulchritudo etiam in hominibus, si omnes vnum membrum essent? Nunc multo pulchrius est, esse diuersa membra, esse visum, gustum, odoratum & tactum, esse manus, esse pedes, & cetera membra, quæ vno membro totum corpus includi. In humano autem genere quæ pulchritudo esset, si omnes homines pares essent? Quæ pulchritudo in Clero esset, omnes esse Presules, aut in populo omnes esse reges? Quam gloriosa variatio in Clero, quosdam inferioris gradus sacerdotes, quosdam in alijs gradibus constitutos. In populo verò, quosdam esse reges, quosdam esse duces, quosdam comites, quosdam milites, quosdam agricolas. Quam miranda varietas est, esse diuersas gentes, diuersas nationes, diuersas linguas, diuersas conditiones, diuersas dignitates, diuersas ciuitates, diuersas leges, diuersa iura, diuersa conciliabula? Porro, quam suavis delectatio

HONOR. DE PRAEDEST.

delectabilisq; diuersitas inter mulieres, quod vna alteram praecellit in genere, illa illam in pulchritudine, alia aliam in dignitate, altera altera in amabilitate. O quam mentem delectat teneritas infantum, robur iuuenum, grauitas senum, & in his omnibus magnam esse distantiam, & formarum, & morum, & hoc auget decorem, vt in vniuscuiusq; patrisfamiliâs domo esse diuersa vasa, quaedam vtputa aurea, & argentea ad honorem, quaedam verò sicuti ferrea & lignea, ad cõtumeliam. Quae omnia, quamuis non sint in vno loco patria, tamen omnia in domo sunt necessaria. Hac omnia consideranti in republica ingerunt stupenda cuiusdam picturae oblectamina. Deniq; Deus in regno suo, quod est caelum, terra, infernus, & omnia his cohærentia, uel subiecta, disposuit cuncta vt sibi placuit, & vt decens fuit. Posuit in caelo angelos, quod caelum decuit: posuit in terra homines, quod terram decuit: posuit in alijs creaturis alia, quod illas decuit: & frustra quis de locorum differentia quaerit, vbi quisq; Deo disponente ponatur, cum Deo de omnibus locis laus referatur. De caelis ab angelis laudatur, quod uisione eius suauitatis fruuntur. De terra ab hominibus laudatur, quod ab eo pascuntur. & cum scriptum sit: Omnis spiritus laudat dominum, laus ei ab inferno fertur, dũ rebelles spiritus ei in poenis subduntur. In ipso autem Dei palatio, quod regnum caelorum uocamus, quam dulcis & gloriosa diuersitas esse creditur, dum aliam gloriam angeli, aliam archangeli, aliam atq; aliam illi, & illi ordines,

Psal. 190.

ET LIB. ARBIT. DIAL.

nes, & aliam patriarchæ & prophetæ, aliam apostoli, aliam martyres, aliam confessores, aliam virgines, aliam viduæ, aliam conjugatæ, & aliam alij gradus habere leguntur. Hæc omnia tam variabili pulchritudine & stupenda admiratione diuersa ab æterno instituit semper & inuariabilis Dei sapientia. DIS. Gratias ago Deo, quod tam incredibilis pulchritudinis insignia in domo, in quam me introduxisti, perspicue video. Clausa decenter reserasti, inuoluta eleganter resigillasti. Sed cum Deus hæc ita ab initio disposuerit, & omnia ita non euenire ineuitabile sit, ad quid vltimū iudicium restabit? M A G. Sicut pictor, cum singulos colores posuerit, vnumquenq; in suo loco, prout visum fuerit, ad vltimum nigro colore cuncta discriminat, vt totius picturæ ornatus melius clarescat: ita Deus dum omnem varietatem sui operis, prout vult, disposuerit, ad extremū reprobos ab electis, vt nigrum à pretioso colore segregat, vt de nigredine illorum supplicij, splendidi fiat claritudo istorum gaudij. Deniq; patriarchæ & prophetæ pro viridi colore, Apostoli pro aëreo, martyres pro rubeo, confessores pro croceo, monachi pro purpureo, virgines pro albo, continentibus pro griseo, vxorati pro ferrugineo, peccatores pro nigro, in pictura Dei accipiuntur, quæ omnia ordo angelicus cingit, vt varius auricolor limbus. Hæc vniuersa illa summa pulchritudo ornat & illustrat, quæ singulis suum proprium colorem præstat. DIS. Iam totum decorem domus domini te monstrâte conspicio, nunc etiam
 Baby -

HONOR. DE PRAEDEST.

Babylonie ciuitatis ædificia cernere desidero. Per orientalem ergo hanc portam me educito, & cur homo in paradyso positus sit, cum nō ibi permāsurus esset, educito. MAG. Ab ipso sunt pandendā mæchæ ciuitatis mysteria, qui per spiritum sanctum de virgine carnem assumendo, nascendo, mortem crucis patiendo, in sepulchro quiescēdo, ad infernum descendēdo, à mortuis resurgendo, ad cœlos ascendēdo, aperuit septem libri signacula. In mōte igitur hoc te statuto, & vniuersa habitacula perditæ ciuitatis demonstrabo. Protoplastus quia erat prædestinatus, in paradyso, id est, in loco voluptatis, est locatus: sed quia vtrunq; genus, scilicet electorum & reprobōrū, ab illo prodire debuit, ne reprobi in paradyso nascerentur, Adam per liberum arbitrium existens, eos quasi foris in se exportauit, & vtrōsq; in loco certaminis huius mundi exposuit. Ipse cum electis, quāuis cum labore, rediens, reprobos foras reliquit. In hac itaq; pugna magna vi vtrinque certatur, & victores quidem laureati triumphantes astra petunt, victi autem confusi ad ima baratri descendunt. Sta autem hic, & vtrorumq; itinera considera. Aliquis per viam humilitatis ab infantia incedit, & vsq; ad senilem aetate[m] semper in melius proficit. Omnes homines sibi superiores reputat, se verō omnibus inferiorē æstimat: omnium actus laudat, suos reprobat. Alius semitā castitatis arripit, magna custodia omnes sensus suos munit, & tamen omnes alios sanctos cōputat, se velut immundum iudicat. Alius patientiæ callem calcat,
vni-

ET LIB. ARBIT. DIAL.

vniuersa dura & aspera pro Christo patienter to-
 lerat, alios mansuetos reputat, se immitē cogitat.
 Alius per abstinentiæ iter graditur, magna castiga-
 tione carnis maceratur, & tamē alios in abstinen-
 tia districtiores honorandos æstimat, se vt voracem
 damnat. Alius per altitudinē charitatis in-
 cendens, non solū amicos in Deo, sed etiā inimicos
 propter Deū diligit. Contumelia accepta nō solū
 poscenti veniam & iniuriā laxat, sed & ipse recon-
 ciliari festinat. Hæc & talia sunt ciuium Hierusalē
 itinera, quibus ab exilio properāt ad eterna taber-
 nacula. Verte te ad ciues Babylonix, & vide qua-
 les sunt, per quas tendunt, plateæ. Aliquis à primæ-
 uæ ætate, à luxuria inchoat, & in hac insatiabili-
 ter vsq; ad decrepitam ætatē perdurat. Nunquam
 quid iā fecerit cogitat, sed quid adhuc facere pos-
 sit, tractat. Alius voracitati & ebrietati à pueritia
 se subiecit, & usq; ad vltimam senectutē delectabi-
 liter his insistit. Alius toto annisu rapere festinat,
 alius iugiter furtis insistit, alius crudelitate pasci-
 tur, alius lucris non satiatur: hic inuidia tabescit,
 hic immundicia sordescit, hic superbia erectus
 cunctos despicit, hic odio plenus cunctos men-
 dacijs & detractionibus afficit. Tales & tales sunt
 plateæ reproborum, quibus irreuocabiliter festi-
 nant ad profunda inferorum. Aspice & nunc a-
 cies diuerso modo ad pugnam instructas. Re-
 probi iustorum verba & dicta abominantur,
 consortia eorum detestantur, refugiunt omne il-
 lorum consilium, graues sunt eis & ad viden-
 dum. Sæpe eos callidē circūueniunt, sæpius bona
 illorum

De ciui-
 bus Baby-
 lonix.

ro. Per
 & cur
 permā
 denda
 n fan-
 cendo,
 scēdo,
 cendo,
 gnacu
 t habi-
 toplā-
 l est, it
 nq; ge-
 o pro-
 entur,
 s quasi
 tminis
 amuis
 uit. In
 tur, &
 ra pe-
 escen-
 onside
 a ince-
 us pro
 rat, se
 a actus
 is arri-
 nit, &
 ut im-
 calcat,
 vni-

HONOR. DE PRAEDEST.

illorū fraudulenter aut etiam violenter diripiūt, saepissime eos verberibus vel alijs cruciatibus affligunt, aut etiam membroꝝ truncatione vel alijs supplicijs interimūt. Econtra, iusti reproborum mores vt graue pondus sufferunt, de miserabili illorum conuersatione ingemunt, contagia eorum in quantum possunt deuitant, citius ab illorum contubernio liberari optant, pro eorum salute Deo supplicant, necessaria quae possunt eis subministrant. Adhuc aliud considera, Electi omnes in bono concordant, & bonum quod facere non praualent, in alijs amant. Reprobi vero, in malo omnes concordēs sunt, in bono semper discordes existunt. Et si alicui illorū ab aliquo iustorum forte verbum increpationis vel admonitionis offertur, omnes resistunt, omnes pariter contradicunt. Ipsi quoque qui nō faciunt, quia bona quae facere nolunt, in alijs odio habentes, moleste ferunt. Ideo omnes cum quem non nouerunt, dignum odio ducunt, mendacijs detrahūt, iniurijs laceffunt. Contemplare diligenter, & videbis in toto isto certamine semper Cain parauit in acie contra Abel, Cham contra Sem, Hirmael armatum contra Isaac, Esau, pugnare contra Iacob, Saul resistere Dauid, Iudam in dominū, Simonem irruere in Petrum. Vide & in hoc agone, qualiter saepe reprobicum electis currere pro bivio proponunt, & aliquandiu etiam currunt. In itinere verò sudore fatigati, deficiunt, & turpiter vt canes ad vomitum redeunt. Vide, veni huc ad supercilium montis, vnde cuncta aedificia possis cerne-

ET LIB. ARBIT. DIAL.

cernere damnatę ciuitatis. Intruere principes & iudices, ecce posita est in eis bestię sedes. Omni tempore ad malum sunt intenti, semper negocijs iniquitatis inexplebiliter occupati, flagitia non solū faciunt, sed & alios facere instruunt. Sancta vendunt, scelera emunt. Totis viribus laborant, ne soli ad tartara veniant. Verte te ad Clerum, & videbis in eis bestię tentorium. Dei seruitium negligunt, terrenis lucris inseruiunt, sacerdotium per immunditiam polluūt, populum per simulationem seducunt, Deum per mala opera abnegant, omnes scripturas ad salutē pertinentes abdicant, omnibus modis se laqueos & ruinā populo substernunt, quem cęcum ipsi cęci ad interitū pręeunt. Contemplare & monachorum conciliabula, & videbis in eis bestię tabernacula: per fictam professionem Deum iridentes, iram eius prouocant, normā regularem moribus & vita calcant, per habitū, seculum fallunt, multos deceptos ipsi decepti decipiunt, secularibus negocijs impliciti sunt, in Dei seruitio defides existunt. Pleriq; illorum gulę & illecebris dediti sunt, quidam in immunditię sordibus computrescunt. Aspice etiam habitacula monialium, & cernes in eis bestię præparatum thalamum. Hęc à tenera ætate impudicitiam discunt, complices sibi plurimos ad cumulum suę damnationis asciscunt, velo se operire festinant, quo magis frena luxurię laxare queant, omnibus fornicarijs peius prosternuntur, & ut insatiabilis charybdis nunquam stercore immunditię replebuntur, Hęc animas iuuenū illaqueant,

De principibus.

De Clericis.

De monachis.

De sanctimonialibus.

C &

HONOR. DE PRAEDEST.

& gaudent si plures illaqueent : & hæc vult pal-
mam victoriae, quæ alijs præualet in scelere. Ver-
te ad plebem reliquam, & inuenies in ea bestiae
De plebe. effigiem. Sacerdotes despiciunt, de Deo quicquã
audire cõtemnunt, totum tempus vitæ in vanita-
De vulgo. te & iactantia ducunt, & ad omne opus reprob-
sunt. Vulgus quoq; indoctũ bestie habet idolum,
Deum verum nõ norunt, Deo ventri tota inten-
tione deseruiũt, per varia carnis desideria disfluũt,
& per omnia vitam bestialem ducunt. Veni huc
ad huius vallis procliuia, & vide monstruosa mu-
lierum conuenticula. In his bestia omnes suas
pompas & monstra posuit, & has sua arma ferre
disposuit. Vides qualiter illa iuuenes per luxuriã
illaqueat, illa multos veneno enecat, hæc viri vi-
ram pro auro prodir, hæc partus suos occidit, hæc
lites prouocat, altera bella instigat : ista maleficijs
mentes hominum alienat, hanc verò nullus pecu-
nia vel luxuria satiat, hæc ridendo multos deci-
pit, illa flendo plerosq; seducit: hæc sunt huius ci-
uitatis propugnacula, & hæc sunt bestiae iacula.
DIS. O Deus, quanta monstra prodigiosa con-
spicio. **MAG.** Mœnia mœche ciuitatis vidisti, de-
structionem quoq; eius libet intueri. Nunc ciues
Babyloniæ cum sint plures in numero, ciuibus
Hierusalem semper bellum inferunt, quia apud
eos in exilio positi sunt. Postmodum verò rex
cœlestis cum exercitu angelorum veniens, hanc
perditam ciuitatem funditus euertet, & electos
suos inde liberans, in cœleste palatium secum ad-
ducet, quibus tale spectaculum tunc præbebit.
Hanc

ET LIB. ARBIT. DIAL.

Hanc quã vides Babyloniam, id est, huius mundi gloriam, cum suo principe diabolo, & omnibus huius ciuitatis ciuibus, scilicet huius amatoribus mundi, repente in stagnum ignis & sulphuris præcipitabit, & tunc omnia in meliorem statum electis commutabit. DIS. Magnum spectaculum præbuiſti omnibus, hæc legentibus, ideo illi spectaculo te interesse concedat Deus. M A G. Summam huius Libelli hic totum sic concludam: Nullus igitur locum gloriæ intrabit, nisi quem diuina prouidentia ad hunc ab initio prædestinauit: & nullus prædestinationem secundum merita, quæ infantibus nulla sunt, obtinebit: sed eam secundum gratuitã Dei gratiam possidebit. In multis verò mansionibus eos locabit, hoc est, diuersa gaudia eis dabit. Infantibus quidem & in extremis pœnitentibus, secundum solam gratiam: alijs verò & secundum diuersa merita & varios labores, vt martyribus, & omnibus in mandatis domini pro hac spe in finem certantibus. Nullus quoque in loco contumeliæ suppliciorum particeps erit, nisi quem diuina præscientia ad hunc futurum præsciuit. Qui autem ibi demerguntur, magis secundum occulta & incomprehensibilia Dei iudicia, quàm secundum merita, quæ infantibus nulla sunt, retrudentur. Tamen quia per liberum arbitrium malum eligentes, hoc toro corde vsq; in finem operando dilexerunt, pro diuersis meritis diuersas pœnas hæreditabunt: & quia hæc omnia nõ ita euenire est impossibile, nomẽ huic libello indat, Inenitabile.

C 2 Hæc

HONOR. DE PRAEDEST.

Hæc de prædestinatione & libero arbitrio defert
filijs ecclesiæ, quia ea scio despicient ciues Babylo
niæ. Sed quicumq; hæc cõtempserit, vel etiam im
pugnauerit, se de numero prædestinatorum non
esse monstrabit. Qui vero post hæc quæstionem
de libero arbitrio mouerit, clara die in montem
offendit. DIS. Benedictus Deus, qui fratribus
hæc inspirauit, vt vellent me ad te dirigere, quate
nus hæc mira mererer à tuo mellifluo ore percipe
re: & reuera noueris, quod gentes reproborum
pro hoc venerando opere magno odio te abo
minabuntur: & maxime ob hoc, quod eos per li
berum arbitrium seruos viciorũ, imò dæmonum
probaueris, detestabũtur. Magnas autem grates
tibi persoluet gloriosus cõtus prædestinatorum,
quod tam mirabile opus prompsisti in laudem
eorum: & quia, sicut te dicere audiui, hoc quoq;
à Deo est prædestinatum, vt quicquid electi iuste
petierint, eis tribuatur, magnis precibus cle
mentiam Dei exorant, vt te vltima
dies in consortio illorum
inueniat.

HONORII DE PRAEDESTINA
tione & libero arbitrio, finis.